



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Gnoti Seautón, Sive Arnoldi Geulincs Ethica

Geulincx, Arnold

Lugd. Batav., MDCLXXV

§. 2. Virtus Individua.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48728](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48728)

Officio subinde reperiri; illa quidem per ignorantiam (ut cum filius patrem comilitonem occidit in bello iusto putans esse hostem.) Hoc vero per simulationem, malitiam & perversitatem (ut cum large donat quis, ut avaritiam suam tegat.

§. 2. *Virtus Individua.*

Individuum est, quod dividi in partes non potest: Virtus ergo Individua nobis dicitur, quia una Virtus sine alia esse non potest, sed necessario, ubi una est, ibi omnes, ubi una aliqua non est, ibi nulla.

Quod quidem in Virtutibus Cardinalibus clarissimum est, de iis enim demonstravimus, quod quotiescunque Virtus in Officium suum tendit, necessario quatuor hisce comitatum esse, diligentiam, iustitiam, obedientiam & humilitate. De Virtutibus particularibus non perinde liquet; quinimo falsissimum hoc Stoicorum dictum esse videtur, quod hic amplectimur, unum particularium Virtutum sine aliis esse non posse, quod enim absurdius populo videtur, quam eum qui comis & facetus est, castum etiam & pium & religiosum esse debere: nec posse eum, qui gravis ac severus est, avarum & fordidum esse

res

res tamen ita se habet, & populo tantum officit præjudicium, dum Officium cum Virtute confundunt: quæ diversa tamen sunt, ut liquet ex præcedentibus ubi ostendimus non alterum modo ab altero. (quod ad distinctionem satis est) sed utrumque ab altero divelli & separari posse: nam & Officium Virtutis sæpe sine Virtute, & Virtus sæpe sine Officio, imo cum deficio reperitur, ut satis demonstratum. Hoc ergo movet populum cur putent urbanum esse eum qui castus non est, quia sæpe vident, aliquem urbanitatis Officium explere, qui castimoniam Officium deserat, quod nos non negamus, sed luce meridiana clarius esse diximus; ast vero consequens inde esse ut urbanitas à castitate divulsa sit, hoc pernegamus. Nam is, qui in casu posito urbanitatis Officium exsequitur, castitatis non item, is sicuti castus non est, sic nec urbanus, & Officium urbanitatis apud ipsum informe est, & urbanitate illâ, quæ vera Virtus est, vacuum. Cur enim partes urbanitatis explet ille? Anne quia Ratio hoc suadet? Nihil minus: Ratio enim etiam suadet, & æque suadet castitatis partes explere; proinde si Ratio eum movet, nihil causæ est, cur alteras amplectatur, alteras deserat. Non est ergo Ratio, quæ

quæ ipsum ad urbanitatis Officium impu-
lit, sed libido: seu urbanus fuit quia hoc
esse placuit, non vero quia Ratio jussit, hæc
perinde castum esse jubebat, quod ipse esse
noluit.

Itaque si duobus mihi perinde ab a-
mico commendatis, si uni operam meam
addicam, alterum deseram, non amici
commendatio causam dedit huic operæ
meæ, sed selectio & arbitrium meum: sic
duabus nobis à Ratione Officiis injunctis,
si alteram quidem exsequamur, alteram
deseramus, executionem illam non Ra-
tio sibi vindicat, sed libido & beneplaci-
tum nostrum. Igitur nec in executione
illa Virtus est, seu amor Rationis, sed libi-
do seu *φιλαυλία*. Ratio igitur generalis,
cur Virtus nulla ab aliâ Virtute develli
possit, hæc est, quod certissimâ Ratione
convincamur Virtutem illam, quæ ab aliâ
divelleretur, non Virtutem fore, sed libi-
dinem, quæ ex jam dictis clara sunt: præ-
judicium, quo ante cum populo labo-
rabamus, excutiemus facile, adhibita
bona inter Virtutem & ejus Officium di-
stinctione, quæ quidem distinctio clari-
sima est omnibus perceptu; sed homines
(ut plerumque alias) magis laborant hic
inadvertentia, quam ignorantia.